

Nudus, egens, Veneris naufragus in tabula.

Citat item Rhabanus in mirabilium carminum prologo eum enim ait puactis quibusdam versus notare solitum, et propterea illius se exemplo versus facturum pollicetur.

A *Inter fragmenta Petronii Arbitri, ad illud, Crede ratem ventis, etc., nescio quis annotavit.*

Nisi sit potius Porphyrii poetæ sub Constantino in exsilium missi, cujus pleraque video Petronio nostro vel a Criticis tribui.

EPISTOLA PORPHYRII AD CONSTANTINUM.

DOMINO CONSTANTINO MAXIMO, PIO, INVICTO ET VENERABILI, SEMPER AUGUSTO.

Fateor, domine Constantine, maxime invicte, et non minus pietate quam virtute præcipue, quamvis avara atque ultra meritum cupida parvitatæ meæ vota, infatigabili clementiæ tuæ dignatione superata. Quippe cui satis abundeque suffecerat, carmen quod arctioribus Musarum ligaveram vinculis, quo plus mihi sinceræ devotionis studium, quam ingenii mei parvitas præstitit, in tuas, augustissime imperator, manus venisse victrices, legendum oculis tuis. In quo mihi ¹ pro Heliconis verticis nemore, pro Castalii fontis haustu versifico, pro Apollinis lyræ Musarum concinentibus choris, cæterisque quæ poetis mos est carmen pangentibus invocare, tui mihi nominis æterna felicitas, et ejus multiformis cum sua veneratione præfatio, incentivum cecinit ad ² audendum, et ad expediendum pariter ingenium tribuit et effectum. Romanæ Musæ antistes nobilis Mantuanus, serena lux vatium, et fons puri nectaris, vela fecundus in carmina ³ exultat, ac se plurimum gloriatur. Quid ego faciam tenui pauper ingenio, meriti nunc usque perparvi? Cœlestis judicii dignatione immensum mihi pondus impositum est, ejus imperatoris testimonio, qui inter belli pacisque vir-

tutes, inter triumphos et laureas, inter legum sanctiones et jura, etiam Musis tibi familiaribus ⁴ adeo vacas, ut inter tot diviniæ majestatis insignia, quibus invictus semper in primis es, hujus etiam studii in te micet splendor egregius. Nimirum agere gratias audebo, ⁵ cum exili sermone ne perminimis quidem referri digne ⁶ possint, et tu, pie imperator, tanta præstiteris, ut istud pro benefactis tuis ne facundissimis quidem possit impleri? Etenim si ita, ut sapientibus placuit, maxime imperator, æstimanda sunt, non numeranda judicia, qui hujusmodi testimonium consecutus sum pietatis tuæ dignatione cœlesti, jam licet Parnassi juga securus ingrediari, et ab ipsis Aonii verticis adytis deducere audeam Musas, tutus quocumque mens ibit in carmina, et divina judiciorum tuorum auctoritate munitus, atque in mea blandimenta plus credulus, universo me orbi placuisse contendam, qui placere potui totius orbis imperatori. Denique oratus, augustissime domine, temeritati meæ da veniam, et quæ nunc quoque pietatis tuæ favore ausus sum illigare, dignanter admitte: Audaciæ meæ fomitem auctoritatis tuæ clementia suscitavit. Vale.

¹ *Per Heliconis*, et sic deinceps.

² *Audiendum*.

³ *Exultat*.

Maxime invicte. Petri Pithœi editio inter Veterum Epigrammata et Poemata, procurata Lugduni 1596, pag. 379, omittit *maxime*.

Infatigabili clem. Pith. *infatigabilis*.

Suffecerat. Pith. *suffecerit*.

Ligaveram. Pith. *illigaveram*.

Quo plus mihi. Pith. *quod prius mihi*.

Pro Heliconis. Pith. *pro Heliconii*, quod Barthius mavult, col. 1107.

Apollinis lyræ. Pith. *Apoll. lyra*.

Tui mihi nominis. Pith. *tui mini.... nom.* Barthius legebat *tui divini nominis*.

Cum sua veneratione præfatio. Pith. *cum sua venerabili... prælatio*.

Audendum, et exp. Tô et a Pith. abest.

Antistes nobilis Mant. Pith. *nobis. Male*.

Nectaris, vela secundus. Pith. *nectaris secundus. Male omittit vocem*.

In carmina exultat. Pith. *in carmine exultat*.

Tenui pauper ingenio. Pith. *tenuis pauper ingenii*.

Immensum mihi pondus. Pith. *omittit mihi*.

Etiam Musis tibi familiaribus adeo vacas. Pith. *Hæc a Musis tibi famliaribus laudas*.

⁴ *Laude vacas*.

⁵ *Cujus ex illius sermone permin.*

⁶ *Possit*.

Quibus invictus semper in primis es. Pith. *quibus et invictus semper et primus es*.

Cum exili sermone. Pith. *cujus exili serm.*

D *Ne perminimis q. r. d. possint.* Pith. *prominimis q. r. d. possit*.

Ne facundissimis q. p. impleri? Pith. *ne a facund. q. p. impleri.* Absque interrogandi signo.

Jam licet Parnassi. Pith. *jam omittit*.

Quocumque mens ibit in carmina. Pith. *quacumque mens ibit, carmine*.

Ausus sum illigare. Pith. *ausus sum versibus illigare*.

Vale. Abest a Pith. Barthius ascripserat: « Non ideo dubitandum de ingenuitate hujus epistolæ, quod multi Constantiniano ævo melius Latine scripserunt: nam et alios licet notare, et sic et pejus etiam, locutos; ut sint exemplo, chorographia a Jacobo Gothofredo, Itinerarium Hierosolymitanum a Petro Pithœo, promulgata opuscula. Nos inscriptis libris et plura talia superesse novimus, et vel omnium loco ponamus Commentaria in Psalmos Arnobii alicujus, ætate certe minime re-entioris istis huc positus, titulum præferentia, etc. »